

8
ANNUENTE SPIRITU INFINITO
DISPUTATIONEM PNEVMATICAM
CONCLUSIONES DECISIVAS

De
SPIRITU INFINITO

SUMMATIM
EXHIBENTEM
PUBLICO EXAMINI SUBJICIUNT
PRÆSES

M. HEINRICUS Baumann/

Torg. Serenis. Elector. Saxon. Alum.

ET

RESPONDENS

JOHANNES Ritter/

Haynensis,

In Auditorio Minori

Ad diem 19. Jan. Horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ,
Líteris JOHANNIS HAKEN.
ANNO M DC LIX.

27.



etiam quod in antecessum profari licet e quod agitur in
 regis huius oritur. Tituly n. indiget ut tradiderit uess
 ta infinito in hunc de fin. quid. inf. n. ay. eiy utu
 te attingat. ^{argum.} In quacumq. Disputatōe
 septio tituli ponat q. in ipis hinc struere in
 solito philosophum nunc o pro uerit. ^{arg. de v.}
 dicit. in tunc siue quod sub eo ginet o debet latiq
 e sub se gientis ^{palmaria uolunt.} disputatō de abbe illis
 et alteratō. in solo Cartesiano, reliqui in
 enter et uo en ayate tradat.





I. N. J.

PROOEMIUM.



Uæsit genuina & nativa cujuslibet Spiritus, seu, ut Philosophi loqui amant, Spiritus ut sic, indoles, pro ingenii nostri modulò, & quantum per materiae hujus difficultatem & subtilitatem licuit, ex Pneumaticæ parte generali haectenus meditatè inquisivim9, & quod rectè rationi, & sobriè philosophandi consuetudini, congruum invenimus, in prosceniù produximus. In præsentì, ulterioris & distinctioris inquisitionis ducti prolubio, ad particulare inferiorum Spiritus scrutiniù, quod omne Partis Pneumaticæ Specialis latifundium exhaurit, nos demittimus, ubi SPIRITUS INFINITUS, primarium Pneumaticæ objectum, (objecti enim peculiaris disciplinaris ἀξιόματα omnino respuit, demonstrante Plur. Rever. Dn. D. Calovio p. 363. *Metaph. contra Averroem lib. 1. Phys. comm.*) primum locum jure optimo sibi vendicat. Ab illo igitur & specialioris hujus disquisitionis nostra sub Ejusdem auspiciis ducamus exordia. Cum verò hïc latissimus disputandi campus sese nobis aperiat, in quo tam fecunda controversiarum, pro seculi nostri, subtilitatum æquè atq; absurditatum feracissimi, ingenio, seges efflorescit, ut solidiori illarum decisioni hæ chartarum angustia minimè sufficiant, ex eòdem certa seligamus difficultatis puncta, qualicunq; circa eadem conclusionum decisivarum, recentioribus nonnullis magni nominis Philosophis oppositarum, contenti spicilegio. Sit ergò

CONCL. I.

Notitia Spiritus Infiniti insita, est qualitas in cujuslibet hominis potentia intellectiva, cui instar habitus naturaliter superaddita est, adeo firmiter radicata, ut nunquam penitus evelli possit, ita, ut

A

2

pura

*pura DEI ignorantia, & d. rectus speculativus, inevidenti & constan-
ti intellectus assensu firmiter radicans, illi succedat atheismus.*

§. 1. Notitiam Spiritus infiniti s. DEI aliam esse superna-
turalem, aliam naturalem, partim insitam, seu subjectivam, par-
tim acquisitam seu objectivam, notorium, & à Theologis pariter
& Philosophis solidis fundamentis hætenus evictum est, ut hõc
tories depugnato prælio novam instruere aciem supervacaneum
existimem. De quidditate verò illius notitiæ insitæ, non una o-
mnibus mens est, aliis pro ipsâ intellectus facultate *νεπιτηκῆ*, aliis
pro specie expressa, aliis pro dispositione quâdam, aliis pro habi-
tu, &c. eandem habentibus, quorum nomina passim obvia lubens
prætereo. Nos cum accuratioribus eam pronunciamus qualita-
tem quandam esse ipsi potentia intellectivæ superadditam, in eâ-
dem instar habitus cujusdam (habitus enim perfecti totalis, ut
pote portiunculam congenitæ illius Adamo sapientiæ, rationem
habere non posse, faciles admittimus) firmiter radicatam, quâ
homo rectæ rationis usu (qui est conditio subjecti actualiter DE-
um cognoscentis) pollens, ad cognoscendum DEUM promptus
redditur, ut facile & expeditè sponte sua è conscientia suâ latebris,
eandem actu elicere, & beneficio illiõ clariorem & pleniorè postea
divini Numinis notitiam, mediante discursu naturali sibi acqui-
rere possit. Hanc sententiam pluribus rationibus operose statumi-
bare possemus, nisi eam ut ab aliis, cum primis. *Pl. Rev. Dn. D. Meis-
nero in Theologia naturali* sufficienter probatam, & ab omnibus ad-
versariorum exceptionibus feliciter vindicatam, h. l. præsuppone-
re possemus, tanquam solidum & inconcussum fundamentum demon-
strandi impossibilitatem directi, interni, & serii, atheismi, impri-
mis perpetui, pro quâ ita ratiocinamur: Cujus rei oppositum ab
ipsò DEO potentia hominum intellectivæ habitualiter inscul-
ptum, & cum ipsa Synteresi arctissimè unitum est, illius cogni-
tionem nemo radicitus abolere potest. Atqui de notitiâ DEI
certum est prius, quod vel sola probat experientia, imprimis à sur-
dis & mutis ab utero desumpta. E.

*Spintibus
quod de fir. h. h.
quod ay ex
si potest del
abbe vers. et
e de qu. p. n. e.
ti us p. n. e. t. e.
cognitione de
ingrati
n. h. a. q. p. n. e.
n. e. p. o. s. s. e.
q. d. e. p. n. e. t. e.
n. e. l. i. u. m. e.*

§. 2. Hæc decisio non est ad palatum Notitiarum infi-
tarum hostibus, unde *Franco Burgersdicius in institut. suis Metaph.*
q. ex hinc natura cognitione Dei plenaria lib. 2.
quod dicitur habere quod dicitur eum se esse q. p. n. e. t. e.
q. d. e. p. n. e. t. e. p. n. e. t. e. p. n. e. t. e. p. n. e. t. e.
Xanthus in Lectione Aquilone lib. 1. p. 1. q. d. e. p. n. e. t. e.
hi estus dicitur plus in dicitur ex in dicitur ex in dicitur

l. 2. c. 4. p. 248. asserit: Nullum sensum Numinis in multis gentibus
vigere, quod apud eas nulla religionis vestigia: In quem Successor
ejus *Adrianus Heerbord* propterea non immerito censuram strin-
git p. 160. *Disp. Philos. sel. 3. vol. 1. & in prefat. ejus institut. premissa.*
Adversarius Remonstranticus Anonymus, quo cum *Gisbertus Voë-*
tius contentions ferram traxit, ex professo illam oppugnat. Alii
experientiæ istam contravenire putant, quæ plurima serio athei-
simo addictorum, & in eò mortuorum, exempla nobis sistat. Sed
ut illa intelligantur rectius, & adversantibus os obturetur faci-
lius, hæc adjicimus observationes. 1. Notamus distinc-
tionem; inter ignorantiam puræ negationis, & præ dispositionis:
simplicem, & affectatam, malitiosam: inter atheismum per ca-
lumniam adversariorum alicui imputatum, & ab illò approba-
tum: inter atheismum æquivoce ex sententiâ vulgi talem, quan-
do quis receptæ religioni nuntium mittit, &c. & propriè dictum:
inter atheismum participatum, quando quis alterius atheismi se
participem facit, & proprium: inter atheismum proprium in-
ternum, & externum, verbis professum: inter directum seu imme-
diatum, & indirectum, seu mediatum, per necessariam consequen-
tiam: inter theoreticum seu speculativum, & practicum, qui u-
terque non unò modò exercetur, unde & hic & iste, vel primarius
vel secundarius esse dicitur: inter atheismum, & Cyclopismum.
Scepticismum &c. inter atheismum absolutè & comparativè ita
dictum ratione ignorantie veri DEI: inter atheismum crassum,
& subtilem: inter atheismum quoad quæstionem *èi èst* & *ti èst*:
inter temporarium, & constantem: serium, & hypocriticum: af-
fectatum, & firmiter radicatum, cum intellectus assensu certò &
firmò conjunctum &c. Concedimus variis hæc modis plures
atheismi reos paragi posse, etiam interni, directi, serii, speculati-
vi, interdum satis diuturni, quando quis soporata & cauterizatâ
conscientiâ, quantum in se est, in corde suo omnem Numinis
sensem extinguere, & sibi aliisque, nullum Deum esse, persua-
dere vel conatur, vel sibi persuasum habere impiè gloriatur;
Verum enimverò, ullum hominem, conscientiam suam exa-

examinantem, quamvis malitiosè & serio ignorantiam DEI sim-
 plicem affectantem, ita firmiter & certò sibi unquam ad ullum
 temporis momentum persuasisse, vel persuadere posse, ut, non re-
 clamante animò, & oblucente conscientia, firmum & eviden-
 tem assensum huic propositioni; Non est Deus, præbeat, in eaque
 persuasione suâ absq; metu iudicii & iudicis suaviter acquiescat,
 habitualem notitiam DEI insitam nullatenus permittere, omni-
 no certi sumus. II. Ad Exempla atheorum constantium & in a-
 theismo mortuorum respondemus 1. Ipsos forsan induratos &
in reprobum sensum à Deo datos nunquam conscientiam suam
excussisse, & illas imaginis divinæ scintillulas excitasse. 2. Non
 constare, illos ab internis stimulis & testimoniis fuisse immunes,
 quicquid etiam externe sæpè simularint ob profundam hypocri-
 sin, desperatam ambitionem, ac extremam & ultimæ lineæ mali-
 tiam. 3. Multos tandem in desperationis abyssum præcipitados
 esse, ut nec morti proximi ad illum accedere ausi fuerint, quem in
 vita revereri noluerunt. Cœtera quæ de atheorum induratio-
 ne, de notitiarum insitarum separabilitate, & totali abolitione
 pro atheismo, etiam post internum conscientiaë scrutinium, di-
 spitari solent, ipsi reservamus conflictui. Vid. Gisbertus Voëtius
 in *Thersite Heautontimor. & disputat. selectis de Atheismo.* Paulus
 Voëtius in *Theologia nat. reform. p. 16.* Mersennus, Tilenus & plures al-
 ii, quos G. Voët. l. d. laudat. Heerboord, l. c. p. m. 159.

propositio dege, actione in CONCL. II. ^{Quæ propositio dicitur sunt}
^{illat ut dicitur redit de. i. u.}
^{ut quæ ex notitia innotat}
^{pro}
^{van}
 propositio hac: DEUS EST, equè ad notitiam erroris pertinet,
nee minus homini, recte ratione utenti, per se manifesta est, atq; illa
TOTUM EST MAJUS SUA PARTE; unde de Existentiâ DEI,
 quâ DEUS ut Ens per essentiam existit, ad tempus ex probaresi dubi-
 tare, vel eandem pro figmento habere, sub prætextu melioris & cer-
 tioris intelligentia, illicitum, imò etiam à pietate alienum est.
 I. Quemadmodum omnis connata notitia certis noti-
 tur principiis ac propositionibus, quibus homo facillimè, naturâ
 duce, quam primum ipsos percipit terminos, astipulatur: ita &
 con-
 notitia
 et alia in
 sed non est
 et in
 et Aristot. de fin.



congenita notitia Spiritus infiniti, ejus principium hæc est pro-
positio: DEUS EST. Hanc non minus evidentem esse judica-
mus; atq; illud principium theoreticum: TOTUM EST MA-
JUS SUA PARTE, quia quilibet sanæ mentis, terminos intelli-
gens, haud difficilius isti, quam huic assentitur. 2. Ex hæc prin-
cipii istius naturali evidentia porrò concludimus dubitationes de
existentiâ DEI non tantum illicitas; sed & à pietate (quæ tamen
de reliquis principiis theoreticis non æquè valent) alienas esse,
quod conclusum probamus 1. quia non licet patrare mala, ut e-
veniant bona; 2. quia hõc modò dubitare, est affectare ignoran-
tiam de DEO ejusque existienciâ, quod omnis impietatis occa-
sio, & proxima ad atheismum via est, ut theologis supersedeant
rationibus hanc dubitandi rationem dissuadentibus.

§. 2. Hujus conclusionis priori membro se opponit *Bur-*
gersdicius qui loc. d. c. 7. th. 1. existimat, nullum repertum iri, qui id as-
serere ausit. Posterioris contrarium theoreticè & practicè am-
plexus est *Nobilis Vir, Renatus Cartesius, qui suis acutissimus au-*
dit Philosophus, quò excellentiorem Sol nunquam illuxit, Re-
staurator Philosophiæ; Vir bonus ac Dei similis, & quæ alia elo-
gia sunt, quibus Antesignanum suum certatim mactant Clauber-
gius, Regius, Heereboord, Lipsdorpius. Hujus enim du-
bitationis, inter alia de existienciâ DEI, Magni illius Philosophi,
qui per novennium in ejusmodi dubitationibus, etiam de DEO,
uti *Revius* satagit demonstrare pag. 198. *Thekel*, obstinatè hæsit,
sicut ipse loquitur in medit. 1. p. 8. vestigia in ejusdem scriptis
passim extant. Inter cœtera hæc notatu digna, quæ habentur
p. m. 7. Meditat. de prima Phil. 1. *Infixa est quædam mea mentis*
ventus opinio (inter alias opiniones sc. quas ex animò delevit ad
tempus) *Deum esse, qui potest omnia, & à quò talis, qualis existo,*
sum creatus, &c. *Essent verò fortasse nonnulli, qui tam potentem ali-*
quem DEUM mallent negare, quam res alias omnes credere incertas;
sed iis non repugnemus, totumque hoc de Deo demus esse fictitium &c.
Tandem cogor fateri nihil esse ex iis, quæ olim verà putabam de quo
non liceat dubitare, pag. 8. Quapropter ut opinor, non male agam,
si voluntate planè in contrarium versa me ipsum fallam &c. Etenim
scio,

scio, nihil inde periculi vel erroris interim secuturum, & me plus equo
diffidentia indulgere non posse, quando quidem nunc non rebus agendis,
sed cognoscendis tancum incumbo. Medit. 2. p. 9. Suppono igitur omnia,
quæ video falsa. Credo nihil unquam extitisse eorum, quæ mendax
memoria representat &c. Numquid aliquis est DEUS, vel quo-
cunq; illum nomine vocem, qui mihi has ipsas cogitationes immittit?
quare verò hoc putem? &c. pag. sequ. 11. Hoc unum (nempe me
esse) verum esse affirmo, NEGO COETERA. pag. 16. Cum nec satis
sciam utrum sit aliquis DEUS, levis est dubitatio &c. Princip.
part. 1. p. 2. supponit: Nullum esse Deum, N. Cælum, &c. His gemi-
na passim inveniuntur in illis scriptis; quæ sanè non tanquam *καὶ*
ἀνδραγαθῶν & ex ingeniò Scepticorum prolata, (ut Ipse, præprimis
in fine notar. ad programma quoddam, Meditationibus añexum,
sibi vel contradicens, vel verbis ludens, vel postliminio meliora
sapiens, protestatur) accipi possunt, præsertim si conferantur cum
exordio Medit. 1. & Autoris scopo, ut proinde frustra, acerrim-
us Carthesii vindex, Claubergius in suâ Initiatione Philosophi, seu
potius defensione Carthesii (ubi cap. 3. p. 73. nobiscum negat quen-
quam de hoc axioma, DEUS existit, dubitare posse, qui modo atten-
tendat & percipiat, quid sit Deus, quid existentia) illum excusare,
& partim suis inventis, partim ipsis Autoris ex ejusdem epistolis
hinc inde collectis verbis, existentiam Dei à Carthesianâ dubitan-
di consuetudine remove præsumat, quod latius deduci posset,
nisi sententia Carthesii ex adductis verbis manifesta, & prolixè à
Revio ad oculos demonstrata esset, ut adedò obstupescendum
sit ad hominis hujus audaciam, qui tam certa, tamque testata
negare conatur, uti ille pag. 203. *Thekel* conqueritur. Ve-
rùm, ut & decisionibus nostris lux quædam accedat, & Adver-
sariorum exceptionibus satisfiat, hosce resolutionum fontes
sugerimus. Pro asserto priori Propositio per se nota h. l.
nobis illa dicitur, quæ ex naturâ & propriis terminis innotescit,
ut non opus sit ullò alio medio extraneò, per quod demonstretur.
Quomodo verò & quo jure eadem propositio secundum se, &
quoad nos per se nota dici possit, vel juxta, vel contra mentem
Scholasticorum, acriter de Notitiâ illius propositionis secum in-
vicem

vicem digladiantium, h. l. intactum relinquitur. 2. Burgers,
dicius sine fundamentò tantum abesse putat, ut ex nominis (Dei)
definitione sint agniti populi (gentiles) esse Deum, ut contra argu-
mentis admodum obviis potius opus sit, ad illorum animos convin-
cendos propter stuporem aut pertinaciam aut præjudicium aut affe-
ctum p. 248. contra quæ Heerboord accuratius astruit, illâ pro-
positionem, Deus est, esse notiore altera: Totum est ma-
jus suâ parte, quod hæc per se nota, quia sensus id testatur, il-
la verò, quia intellectus, cui veritas istius propior p. 161. l. c. 3.
Sanguerdi discursus in Idea Metaphys. specialis p. 124. nobis non
contrariatur, quo negat ex nudâ pronuntiatione hujus vo-
cis, D E U S, existentiam Dei non cognosci æquè, ut ex termi-
nis perceptis hoc principium complexum, Totum est majus
suâ parte, cum de evidentia integræ propositionis, Deus est,
quæstio instituat, quamvis & prius illius assertum cum gra-
nò salis accipiendum sit. Pro posteriori: 1. Deus ens per
essentiam dicitur, quia est eius simpliciter necessarium, & ne-
cessariò existens, quam existentiam ne ratione quidem ab e-
jus essentiâ separare licet, ut in creaturis; uti docent Meta-
physici. 2. Distinguimus inter quæstionem & dubitationem
quæ Clauberg. confundit l. c. passim: inter dubitationem li-
citam in obscuris & incertis (qualia Carthesii philosophema-
ta pleraque, de quibus si vel ipse dubitare inceperet, vel alios
Hyperaspistæ ejus eo iure, quod sibi in veterem Philosophiam
arrogârunt, dubitare tam diu permetterent, donec solidiora
eorum fundamenta deprehenderent, melius forsan Reipu-
blicæ Philosoph. consuleretur) & illicitam, in certissimis: in-
ter philosophicam, in perplexis, & Scepticam, in quibusvis,
cui simillima Carthesiana, utpote cujus objecta non tantum
opinionem malè, sed & optimè fundatæ, ut, esse Deum, esse
mentem &c. Quamvis enim excipiat hîc *Cartesius*, se non,
more Scepticorum, dubitare tantum ut dubitet, sed ut ali-
quid certi inveniatur; p. m. 18. *dissert. de meth.* Ad hæc tamen
Revius p. 206. Thekel reponit, inde hoc sequi: Scepticos fuisse
(suò modò) atheos perpetuos; Carthesium verò temporari-
um, cujus manuductio, quanti in investigatione veritatis æ-

B

sti.

firmanda sit, facile pateat &c. quod Revii responsum *Clauberg.*
p. 113. Init. Phil. suis exceptionibus non eludit. Addo: Car-
thesium nullibi probasse MALIGNUM GENIUM, quem sibi
fingit, fallere non posse, unde perpetua de omnibus rebus
dubitatio, & occasio dubitandi in infinitum. Unô verbô: Du-
bitatio hæc non sapit, quicquid etiam sibi ille hominum, si
Diis placet, sapientissimus sapiat. 3. Dist. inter dubitationē
de existentia DEI, piis in tentationibus subortam: & teme-
rariam, fanaticô ausu susceptam. Illam suô locô relinqui-
mus: hanc pro vanissimâ habemus, quicquid etiam pro suo
Cartesio disputet *Claubergius*, dubitationis Cartesianæ
patronus, in *init. Phil. &c.* Vid. *G. Voët. p. 132. d. 1. sel. de Ath.*
hanc Cartesii libertatem philosophandi & compendium ad
panosophiam perveniendi haud obscure perstringens, *P. Voët.*
l. c. p. 24. Jacobus Revius S. S. Th. D. &c. in statera philosophiæ Cartesianæ
p. 40. seq. & in Thekel, s. levitate dubitationis Cartesianæ passim, im-
primis p. 203. seq. Cyriacus Lentulus Professor Herbornensis, Petrus
Gassendus Professor Parisiensis &c. in scriptis contra philos. Car-
thes. aliiq̃ plures Methodum disputandi & hujus objectum
explicantes.

CONCL. III.

Argumento Veterum pro demonstrandâ Spiritus infiniti exi-
stentia per discursum naturalem satis firma sunt, & rationibus Car-
thesii in hoc punctô vel æquivalent, vel iisdem longè præstant.

§. I. In nobilissimâ hâc materia, demonstratione existen-
tiæ divini Numinis discursiva, non immeritô potior habetur
ratio atq̃ argumentorum, quibus robur & vis aliqua convincendi
etiam atheos præ reliquis inesse videtur, cujus notæ sunt
multa à veteribus in aciem producta, inter quæ primarium
procul dubio illud est ab ordine causarum desumptum ita for-
san (præsupposito, ad evitandum progressum in infinitum, in
summô aliquô perfectissimô Ente subsistendum esse) infor-
mandum: Quodcunq̃ Ens ita se habet, ut ab eô omnia a-
lia dependeant & quoad esse, & quoad conservari, illud est
Deus. Atqui causa prima ita se habet. E. Huic alia à variis
miraculosis eventibus, naturæ vires excedentibus, aliisque o-
peri

peribus infinitam & perfectissimam virtutem operandi argu-
entibus, succenturiari possunt. Contra hæc nihil, quod ali-
cujus momenti sit, excipere poterit Atheus, unde & hæc me-
thodò demonstrandi naturaliter existentiam Dei ipsum Spi-
ritum Sanctum in sacris literis hinc inde usum esse deprehen-
dimus.

§. 2. In his v. argumentis Veterum subtilissimus Carthe-
sius acquiescere noluit, quin potius alium pro ingenii sui di-
vinitate ingressus viam probandi existentiam Dei ex lumine
naturæ, quam tamen & Thomæ (à quò plurima mutuo sum-
sit vel mutilata, vel arte sua interpolata, & terminis perplexis
incrustata) tritam esse, ipse diffiteri nequit in Resp. ad object.
primas & secundas. Argumenta illius primaria, quæ in Resp.
ad object. secund. præmissis more Geometrico definitioni-
bus, postulatis, & axiomatibus, uti & in Meditat. 3. exhibet,
hæc duo sunt: Unum à priori demonstrativum: *Idem est di-
cere, aliquid in rei alicujus naturâ, sive conceptu contineri, ac dice-
re id ipsum de eâ re esse verum. Atqui existencia necessaria in Dei
conceptu continetur* (quia scil. in omnis rei idea s. conceptu cõ-
tinetur existencia, necessaria & perfecta in conceptu Entis
summè perfecti, & simpliciter necessari per axioma ejus 10.)
*E. verum est de Deo dicere necessariam existentiam in eo esse, sive i-
psum existere.* Alterum à posteriori: *Realitas objectiva cujusli-
bet ex nostris ideis, requirit causam in quâ eadem ipsa realitas non
tantum objectivè; sed formaliter, vel eminenter contineatur;* habe-
mus a. ideam DEI, hujusque ideæ realitas objectiva, nec for-
maliter, nec eminenter, in nobis continetur, nec in ullò aliò
præterquam in ipsò DEO potest contineri. E. hæc idea DEI,
quæ in nobis est, requirit Deum pro causa, Deusque proinde
existit. Hæc sunt illa Carthesiani acuminis specimina pro de-
monstranda DEI existentia, quæ talia, ut non putet, ullam vi-
am humano ingenio patere, per quam meliora inveniri unquam possint,
sicut liberaliter nimis, fatente discipulo ejus Lipsdorpio p. 18. p.
1. *Specim. Phil. Carthes.* in epist. nuncup. ad Theologos Parisi-
enses gloriatur. Scilicet tanta est illorum soliditas, ut Athe-
us ne contra quidem hiscere audeat; tanta facilitas & perspi-

civitas, ut Claubergius non immeritò Philosophiam Carthesianam à Scholastica in lib. Von den Unterscheid zwischen der Cartesianischen und der sonst in Schulen gebräuchlicher Philosophie, inter alia distinctam asserat, quod præter solidiora sua fundamenta, quibus nitatur, & facilius in Germanicam linguam transferri possit, & non æquè ut Scholastica tot obscurissimorum verborum involucris involuta sit. p. 53. 54. 62. Tātū ille indulget suo erga Philosophiam Cartesianam (die Fruchtbringende/ uti eam in l. cit. vocat) amori; tantum illi tribuit! Sed ut robur Achillaum, quo illa Cartesii ratiociniā se commendant, magis elucescat, dixerim, evanescat, hæc adjecisse sufficiat ad prius: In Majore præsupponit, quod probandum erat, nempe illa, quæ in alicujus rei ideā, s. conceptu continentur, reverā etiam semper in ipsā re contineri; in Minore v. assumitur τὸ κεινόμενον, ut taceam, quæ ab Atheo excipi possent, præsertim si Cartesianā methodo omnia in dubium vocare velit. Ad posterius: Fundamentum Majoris admodum lubricum est: Scilicet, Ideam rei alicujus in nostrò intellectu semper respondere Entitati rei per ideam repræsentatæ, h. e. realitati objectivæ, uti ipse se explicat. Vnde n. constat illā ideā esse verā? De rebus possibilibus & impossib. etiā formamus ideas, ubi a. harum realitas objectiva? In Minore verò iterum supponitur, quod Cartesius probandum assumserat. Præsupponit n. Entitatem Dei per ideam repræsentati, & sic in ipsā hypothesi habet conclusionem, antequam concludit. Si vel Atheus negaret, se habere ideam Dei, vel Cartesianus se de illā ideā dubitare adhuc regereret, cujus census & valoris tunc hoc argumentum esset? Verum plura in præsentī non addo. Argumenta Veterum longè præstare his Cartesianis, demonstrandum erat. Vid. præter citatā *objectiones imprimis Gassendi contra Medit. 3. Meditationibus annexa. Addendum P. Voetii in calce Th. Nat. reform. § p. 25. Th. reform. it. Excellent. Dn. D. Calov. t. 2. Syst. Theolog. p. 34 40. & in Arminianismi confid. p. 37. & sæpè laudatus G. Voetius p. 170 173 178. disp. de Atheismo, alii.*

CONCL. IV.

Notitia Spiritus Infiniti, præsertim per viam negationis, causali-

113-

ratio est eminentia acquisita, non tantum generalis; sed & quodam modo specialis est, rationem Dei propriam exhibens; comprehensiva vero nullo modo dici potest.

§. 1. Quid Deus sit, & quæ attributa ipsi soli propria, per notitiam acquisitam potissimum suo modo (magnæ enim imperfectionis hic prostant documenta) nobis innotescit. Ad hanc verò triplicem communiter nobis sternunt viam Scholastici ex sub Dionysio l. de Divin. Nom. c. 5. negationis, causalitatis & eminentiæ, quod trivium aliunde præcognitum h. l. præsupponimus. His viis a. insistenti non impossibile prorsus est, ex libro naturæ externo quodammodo haurire rationem Dei propriam, & divina ejusdem attributa distinctè cognoscere, quamvis non comprehensivè. Hinc duo conclusionis nostræ membra. Primum præter generalem Dei cognitionem, qua ut Ens Unum, Verum, Bonum, &c. cognoscitur, etiam specialem stabiliat, quam conceptus DEI proprii inquisitio infra instituenda, & Pneumatica de attributis divinis doctrina satis confirmat, & illustrat. Alterum comprehensivam Dei notitiam removet, quam apprehensivæ vulgò opponant, quod illa perfectam & plenariam omnium, quæ de DEO cognosci possunt, inferat cognitionem; hæc non itidem. Illam verò obtineri non posse constat tum quia imbecillitas & finitas nostri intellectus non permittit ut ultimam Entis infiniti perfectionem penetremus; tum quia notitiæ DEI naturalis obstat imperfectio.

§. 2. Primum conclusionis nostræ membrum labefactare videntur hæc Dionysii Petavii verba l. 1. c. 5. dogm. Theolog. pag. 30. Quid DEI sit essentia, aut propria conditio, explicari omnino non potest & c. 6. p. 39. De Deo, cujusmodi in se est, nihil à nobis dici ac ne cogitari quidem potest. Alterum vero dubium reddit hæc *νενοφαία* Burgersdicii lib. 2. Inst. Metaph. c. 5. p. 57. in re simplicissimi (DEO) comprehendere & apprehendere non differunt: qui cum illam apprehendit, eam quoque comprehendit. Ab hujus comprehensivæ DEI notitiæ scrutinio non alieni sunt qui Genus DEI ac differentiam Specificam cognosci statuunt, de quo in seqq. Hoc loco pauca hæc observamus 1. Via Negationis inter omnes est perfectissima, & à periculò errandi maximè libera, quod imprimis Petavius, l. 1. dogm. Theol. c. 5. 6. demonstrat, quamvis de

*in spiritibus
Atque quibus
consequitur non via
per præposita
et utriusque
page uny
boni iustit
ad hoc temp
et. non
via præposita
certi sunt a
vel in illis
non tenent
hujus cognosc
ben. in l.
tantu a p*

B i reli.



reliquis viis minus æquè sentire videatur, statuens, semper impu-
rum aliquid admisceri ac minus sincerum, & proinde alienum à
DEO ac peregrinum, cum per corporum ac rerum creatarum
interjectum DEum cognoscimus, aut de eò aliquid explicamus;
quod tamen adeò metuendum non est, si Analogia eminentiæ
rectè observetur, inter perfectiones simpliciter simplices, quæ
formaliter in Deo, & secundum quid quæ eminenter, ritè di-
stinguatur, imperfectionum impuritas ab harum formalita-
tibus, & ab illarum conditionibus materialibus circumspe-
cte removeatur, ac per negationem imperfectionum de DEO
semper positiva summa aliqua in DEO concipiatur perfe-
ctio, quamvis termino positivo forsan ineffabilis &c. II. Co-
gnitio Dei Generalis etiam specialis dici potest, quatenus illa at-
tributa, quæ vel cum creaturis communia habere, vel alias ut Ens
Entium possidere concipitur, specialissimo & excellentissimo
modo in ipso sunt; h. l. tamen illam speciali opponimus cog-
nitioni, quâ creaturis secundum divinitatis suæ ἐξουσίαν contradistin-
guitur. III. Discrimen, quod Burgersdicius sine ullò fundamen-
tò inter cognitionem apprehensivam & comprehensivam ut sic,
& Dei fingit, eâ facilitate rejicitur, quâ affertur. *Vid Gregor. de
Valentia t. 1. in Thom. d. 1. Becanus tom. 1. part. 1. Theol. Scholast. Schei-
blerus, Glotzius, Ebelius, P. Voetius, Heerboord. &c.*

CONCL. V.

*Mysterium SS. Trinitatis ex lumine naturali nullis rationibus
firmiter probari potest.*

§. 1. Haud exiguam lumini naturali ad cognoscendum
Deum evidentiam & certitudinem hactenus ascripsimus. In hac
conclusionem limites & cancellos certos, quos dictamen rectæ ra-
tionis transilire vereatur, eidem præfigimus. Ad essentiam enim
Dei relativè in tribus personis consideratam illud non temerè ex-
tendendum esse, probant abunde satis Theologi & Philosophi i-
psi, non ignorantes cum aliis philosophicis principiis de Essentiâ
& Personâ unitatem numericæ essentiæ in tribus realiter distinctis
personis conciliari non posse &c.

§. 2. Nihilominus tamen inventi sunt haud pauci, qui æ-
quor tantæ profunditatis tranare ausi sunt. Nihil dicam impre-
sentiarum de *Lullio, Scotò, Nicolao D'orbeltis, Keckermanno, Mor-*



neo, aliisq; pluribus. Prodeat in scenam Dalleus Minister Charentonensis Ecclesie in Gallia, & Caramuel à Lobkowitz, quorum ille in Apologia pro Synodo Alençonensi & Charentensi contra Fr. Spanhemii Exerc. ex S. Literis cum primis ex Rom. c. I gent. lex natura Deum Verum &c. cognovisse; Hic in Gram. audace medit. 4. art. 8. p. m. 118. ex principis Grammaticis mysterium Trinitatis probare suscipit. Illius argumenta ab hoc foro aliena mittimus. Hujus ridiculas rationes ce. sura ne dignas quidem judicamus. Summa discursus istius hæc est: Si quis BLICTRI profert, vocem spirat, nihil dicit: Si verò ex instituto Reipublicæ BLICTRI notaret Elephantem, non tantum spiraretur ut vox; sed & diceretur ut verbum, quod à voce spiratâ tantum differret modò existendi (non essentialiter) cum vocis existere sit spirari, verbi verò dici seu significare simul. Ex hæc voce significativè & non significativè sumpta (ut & ex igne significativè & non significativè spectato) colligit tres personas SS. Trinit. Deum Patrem qui dicit vel spirat, Deum filium qui dicitur, Deum Spiritum S. qui spiratur, harumque personarum discrimen, &c. Sed hæc recensuisse est refutasse. Qui verò aliàs rectæ rationis usus in mysteriis fit, quomodo probat o possibilitatis mysterii hujus ex rectâ ratione concedi, & probat. On. Illius biblicæ subijci possit, pluribus enucleare non licet. Vid. B. Gerhard p. 920. 997. Exeg. Dn. D. Dorsch. cap. 1. intervent. pro myst. Trin. c. 1. Dn. D. Calovius p. 94 Isag. Dn. D. Danhauer Hodosoph. Phænom. 3. p. 132. Vossius l. 3. histor. Pelag. antiith 6 p. 111. Hugo Grotius l. 1. c. 3. p. 6. Relig. Christi Rivetus in synop. c. 4. §. 16. 17. p. 8. & in præfat. præfixa tom. 1. Exercit. Frider. Spanhemii p. 137. 1344. 1318. Exercitat. it. B. Me. sn. p. 1. p. 1134. m. Phil. Sobr. Thomas in. l. 1. sent. dist. 3. qu. 2. Slevogt. p. 120. disp. 11. Th. Scheibl. Ebl. P. Voetius l. c. &c.

CONCL. VI.

Quamvis Spiritus infiniti Essentia definitione aliqua strictè dicta exprimi non possit, ipse commodissime tamen describitur, quod sit Spiritus independens.

§. 1. Non posse definiri Spiritum infinitum ex disput. 1. de Spir. ut sic constat. Conceptum verò Spiritus infiniti primum & ipsi soli proprium commodissime (pro modo nostro cognoscendi, quo unum attributum altero conceptibiliter prius, & unum instar fontis, ex quo reliqua omnia fluere concipiuntur, habetur) poni in independentia, ex requisitis conceptus talis constat, quæ sunt juxta Slevogtum, rationem formalem Dei scrutantem. Dith.

14. *Phil. Theor. §. 7. p. 280.* 1. Ut primo concipiatur in DEO & ita se habeat, ut ipsi immediatè insit, & à nullò priori oriatur nostro concipiendi modò. 2. Ut sit solius Dei proprium, eumque ab omnibus creaturis distinguat. 3. Ut sit ratione nostrâ principium, radix ac origo reliquorum absolutorum Dei conceptuum. Hæc ad aliud attributum h. l. non æque benè quadrant, ne quidem ad infinitatem, (quamvis cum vulgò hæctenus DEUM Spiritum infinitum potius quam independentem dixerimus) quam Suarez. Ebelius, cum aliis per independentiam tanquam attributum illo conceptibiliter prius, demonstrare solent.

§. 2. Autores definitionem Dei strictè dictam urgentes sunt, qui ipsum ponunt in prædicamento & compositionem ex genere & differentiâ Deo non repugnare asserunt, quos adduximus alibi. De conceptu Dei proprio & primo-primo variæ circumferuntur sententiæ, quarum catalogum exhibet Slevogt l. c. illi tandem subscribens, qua Deus secundum conceptum proprium, omnia ejus attributa ab ejus essentia ratione nostra excludentem, ut Ens à se subsistens concipi dicitur. P. Voetio pag. 137. c. 8. *Th. Nat.* hæc probatur Dei definitio. Deus est ens seipso tale, &c: Pro explicatione sententiæ nostræ hæc subjicimus 1. Esse à se, & infinitum esse secundum essentiam differunt quidem formaliter, non verò esse à se & Independens. 2. Tò esse à se non negat quamvis productionem, ac si Deus non sit, qui ullo modo est, productus, sed negat duntaxat productionem ex nihilo. 3. Quamvis à parte rei in essentiâ divinâ non dentur duo distincti conceptus objectivi, alter contrahibilis, alter contrahens, ut in creaturis, intellectus tamen noster non incommode in cognoscendo hoc simplicissimo Ente distinctos sibi format conceptus, alterum quasi latiore, alterum strictiore & quasi contrahentem. *Ἀνεξίτητον* Slevogti & Voetii suo loco relinquimus. Quorum verè dubiorum seminarium illa existat, in discursu datâ occasione non dissimulabitur. *Vid. sæpius citati, & B. Jac. Mart. in Partit. Met. Dn. D. Dorsch. p. 2. Theol. Zach. Dn. D. Danbauer. phæn. 3. Hodosoph. Ebelius, Scheiblerus in p. spec. Met. Heerboord. 1. c. d. 2.* Hos intra cancellos subsistendum h. l. De attributis & operibus Spiritus Infiniti quæ restant Philosophica disquisitione digna, sigillatim pro re nata discutientur

alibi.

SOLI SPIRITUI INFINITO GLORIA,

94 A 7379

ULB Halle 3
002 376 911




5b

WMA

7/4 Nov 1923







ANNUENTE SPIRITU INFINITO
DISPUTATIONEM PNEVMATICAM
CONCLUSIONES DECISIVAS
De
SPIRITU INFINITO

SUMMATIM
EXHIBENTEM
PUBLICO EXAMINI SUBJICIUNT
PRÆSES

M. HEINRICUS Baumann/

Torg. Serenisf. Elector. Saxon. Alum.

ET

RESPONDENS

JOHANNES Ritter/

Haynensis,

In Auditorio Minori

Ad diem 19. Jan. Horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ,
Literis JOHANNIS HAKEN.
ANNO M DC LIX.

27.

